







- I. Conjugio Petri Wfenberci.
 LI. Pauli Syngale J. V. P.
 LII. Augustini Gupli Patrisi Halensis
 LIII. Eisdem.
 LIV. Eisdem.
 LV. Bernardi Gupli J. V. P.
 LVI. M. Joannis Festeri
 LVII. Jacobi Secheri.
 LVIII. M. Jacobi Gupli
 LIX. Felis Phisii
 LX. Canonis Morienti Fancisi Hildesheimi.
 LXI. Simonis de Lotbero Ratisiani.
 LXII. Epitaphia virorum celeberrimorum Pan-
 talonis Canditi.
 LXIII. In obitum Frederici Guilelmi Ducis Saxon.
 LXIV. Lampesti Distelmieri Cassellani.
 LXV. Laurentii Leubnici Scholae Gortliani-
 sci Magistri.
 LXVI. Lucae Maji Pastoris Cassellani.
 LXVII. Stephani Sironii Studii.
 LXVIII. Felis M. Christ. Casaris.
 LXIX. Consolatoria ad M. Christ. Casareum
 de oris filij.
 LXX. Eisdem.
 LXXI. Frederici à Weijze.
 LXXII. Laurentij Creleri.
 LXXIII. Joannis Marci.
 LXXIII. Joannis Marci Feteri.
 LXXIV. Henrici Camerarii J. C. D.

IN
NATALEM IE-
SV CHRISTI SALVA-
TORIS NOSTRI CAR-
men tenuissimum,

Scriptum

A

*Matthia Pratorio, Saxone S.
S. Theol. Studios.*

Esaias Cap. I X.

Puer natus est nobis. & Filius datus
est nobis,



SERVESTÆ

*Excudebat Iohannes Schleer,
Anno M. D. CII.*

IV

AMPLISSIMO, EXCEL

LENTISSIMO atq; DOCTISSIMO

D. Laurentio Biderman. I. V. D. &

Cancellario Anhaltino;

Item,

*Magnificis, nobilitate generis & autori-
tate prestantissimis Viris;*

Dn. CHRISTOPHERO AB HEIM in Erms-
leben, & VVegeleben, Bruniuiceni & Anhaltino Ca-
merario.

Dn. CVNRADO A BORSTEL Capitanio in
VVarmstorph & Blöskaw.

Dn. ERNESTO à Köschaw Consiliariis Anhaltinis
principalibus primariis & prudentissimis:

NEC NON

*Amplissimis, Doctissimis multoq; genere
virtutis prestantissimis viris,*

D. M. CASPARO MASCO in Freckleben.

D. FRIDERICO GRAVBEN in Zerbesta præ-
fectis.

ET

D. GEORGIO BOC K ibidem ab Epistolis

Dominis patronis & fautoribus suis ea qua par est ob-
servantia colendis.

*Hoc quaecunq; grati animi testimonium
debita gratitudinis & observantia
ergo consecrat autor,*



Enunc aeterni proles aeterna parentis,
Christe palestinae virgine nate canam.
Atque sacrosanctae pandam primordia
Naturae duplicis vincula miratae. (stirpis,
Causasque astriferae cur caeli lapsus ab arce,
Et cur IESUSAE O sanguine natus homo.
Cur nostri fragiles sumpsisti corporis artus,
Cur patri factus victima grata tuo.
Dicere fert animus versu tu suffice vires,
Illustrans mentem flamine Christe tuo.
Sic faciles apto decurrent ordine versus,
Ac etiam illorum terminus aptus erit.
Cum Deus altitonans, spaciosi climata mundi
Fecerat ex nihilo, quicquid est orbis habet.
Humanam ex propria formavit imagine gentem,
Quae coleret puram cum pietate DEVM.
Hortus erat toto, quo nullus amenior orbe,
Quem tenuit primus conjuge solus homo.
Arboreos justo quo poneret ordine fetus,
Quos dulci gustu noverat esse bonos.

A 2

Interea

Interea quamvis cœlestia nosset Adamus,
Providus hanc legem condidit ipse Deus.
Sit tibi fas quovis ramis decerpere fructus,
At fuge qua in medio malus opacat humum.
Sola ea noticiam præbet rectiq; maliq;
Insuper importat multa pericla tibi.
Arceo ab hac, digitisq; veto contingere summis,
Ni malis getida mortis obire vices.
Dixerat hac, verū interea phlegetontius anguis
Adfuit, astute talia verba loquens.
Siccine præcepit vobis Rex summus olympi:
Arbore tu noli hac carpere poma tibi?
Erras, nondum etenim superū tibi cognita mens
Quorum non mordet pectora livore dæx. (est,
Nec Deus est talis, qui vobis arboris esum
Invidet, hæc metuis; carpseris equo animo,
Cuncta tuis oculis & sensibus obvia fient,
Assimilis fueris mox ratione Diis.
Fata Dei poteris arcana recludere summi,
Illius & mentem noscere corde statim.
Aspice, ut eniteant tam suavi poma rubore
Frondeb; ut tandem sit tibi Divus honor.
Vix ea fatus erat, mota est dulcedine coniunx,
Pomumq; è ramis exitiale tulit.

Inno-

Innocuoq; viro gustandum prebet Adamo,
Ut sumat labijs noxia dona suis.
Sed miseri primis dum gustant poma labellis,
Aufugit ex templo diuq; imago perit.
Aspiciunt trepidi deformes corporis artus,
Exutos donis omnibus ante datis.
Conscia mens, ultra extremos Garamantas &
Non pedibus lassis ocyus ire iubet. (Indos
Heu mala qua feci, quò flectam? nescia fatur
Serpentis fraudes vix latuere Deum.
Nunc modò nos vinctos mors insidiosa tenebit,
Atq; feri ditis porta patebit atrox.
Nunc nostras animas fœdus deglutiet orcus,
Mordebit Stygius corpora & ossa canis.
Ah quid fecerimus: quid nunc cõmisimus ambo,
Heu cur transgressi nunc tua iussa data:
Ah tua iussa, Deus, collapsus, dicit, Adamus
Non ego transgressus: Fœmina causa mali.
Hæc carpsit malo, damnosum nescia pomum,
Et mihi gustandum prebuit ore (malum.)
Nam si vixissem solus sine compare vitam,
Expers nunc esset crimine vita mea.
Ergo, inquit, placido miseros nos conspice vultu,
Cunctaq; condona debita nostra Deus.

A 3

Tunc

Tunc DEVS omnituens & summi Rector
Aspexit sociam, talia verba ferens. (olympi,
Quanam te stolidam tenuit fiducia mentis?
Quod tibi non cordi numinis ira fuit?
Eorsan te pomi furtum celare putasti
Posses DEVM me, qui viscera cuncta rego?
Reddit eas: ah serpens blanda me voce fessit,
Et monuit fructum carpere me vetitum.
Tunc Deus irarum volvens sub pectore fluctum
Ingentem, uxori talia voce refert.
Ex propriis iam nunc te iudico femina verbis,
Angui supplicium, & poena luenda tibi.
Si tibi cura fuit potius parere dolosis
Dictis serpentis, quam mea iussa sequi:
Sit tibi supplicium hoc, dirum, comitata colubrum,
Tartarei incurras iam phlegetontis aquas.
Poenitet ex animo, me homines formasse mali-
Qui stygias poenas sponte creare sibi. gnos,
Hec simul iratus fatur moderator Olympi,
Extemplo gelidus concutit ossa tremor.
Nec satis heu constat, quo tanto crimine purgent,
Nec quo sedari iudicis ira queat.
Obstupuere statim, attonitis vox faucibus hesit,
Clausaque iam caelis ostia sacra gemunt.

Antra

Antra modo cernunt stygii tenebrosa Tyranni,
Ardentem patulum sulphure & igne lacum.
Iam pœnas metuunt, iam desperantq; salutem,
Et sibi quæ demum sint facienda latet.
Interea aeternas, qui numine sydera torquet,
Dum videt arumnas, duraq; vincla, Deus.
Immanes etiam rictus & hiantis auerni
Umbrarum plausus, lætitiãq; canis.
Consilium miseratus inquit, preciumq; modumq;
Constituit, quoniam solvere possit eos.
Ast cum iustitia summi censura severa,
Ob vetitos fructus exigit hoc precium.
Aut mihi sufficiens, inquit pro crimine solve,
Aut dignam pœnam corpore Adame subi.
Ast opus, hic labor est, cœli terraq; per orbem
Immensum talis quo inueniatur homo,
Vnicus ecce Dei medium se Filius offert,
Vt partes hominis perficiatq; Dei.
Cœlum implet gemitu, votisq; mouere parentem
Incipit, & placitum poscit ab ira animum.
Parcat ut aeterna mortales plectere morte,
Neu miseros stygio flumine mergat aquis.
Sed cum rudus homo sit inops, & viribus impar,
Vt Satana opponat se, & stygiis furiis:

se

Se grave promittit subituum praelium, & ingēs
Victurum inferni corpore supplicium.
Talibus alloquitur duplicato poplite patrem,
Et pariter gemitum fundit, & ore preces.
Te precor omnipotens, & rerum summe creator,
Qui regis hanc terrā, & sydera cuncta moues.
Tartareus noli lapsos absorbeat orcus,
Qui bonus & clemens diceris esse animo.
Pone iram & dignos arceto à fontibus ignes.
Te moveam, & gentis sic miserere tua.
Filius ipse tuus pro lapsis munera pendam,
Et lutron propria morte salutiferum.
Flectitur hic Genitor precibus, gemituq; movetur
Dilectæ sobolis, quos dedit ore pio.
Et non displicuit modus hic, quo fervida patris
Compesci offensi numinis ira potest.
Sic ergo affatur tanto in molimine Natum,
Immiscens dictis oscula chara suis.
Nate patris summi, mundi sator, arbiter ævi,
Immensi quem non ambitus orbis habet.
Tu Deus has sedes, & olympica sydera linques?
Sublimemq; domum, gaudia tanta Po. i?
Et vires hominum miseratus ab æthere terras?
Limina confringes tartareaq; domus:

Inte-

Nunc licet, haud patiar poscētem ferre repulsam,
Interea memori pectore dicta tene.
Iustitia nostra rigor exigit, aequus est ordo,
Plectere perversos, praemia ferre bonis.
Ergo mortalis facinus cum facit iniquum,
Hanc etiam culpam morte piabit homo.
Hac cum fatus erat soboles mox ore benigno,
Obnixas pariter reddidit ore preces.
O pater, o hominum, divumque aeterna potestas,
Virgineo verus semine nascar homo.
Atque in carne luam pro tanto crimine panam,
Sponte mea factus victima sacra tibi.
Annuit his dictis iterum, et sic ora resolvit,
Supplice te facto, flector amore tui.
I felix igitur, rata sit tua Nate voluntas,
Ausibus atque tuis nunc bene cedat opus.
Tolle metum, et mortis confringe nocentia tela,
Supponens pedibus tetrica regna Pluti.
Redde meis iterum collapsam labe salutem,
Donaque da vita, justiciaque decus.
Atque hominem pulsum super astra corusca repone,
Ut vivat grato pectore in aede Dei.
Hoc mox foemineum semen, praedicit Adamo
Serpentis collum qui superare queat.

B

Post

Pōst etiam sanctis patribus promisit id ipsum,
Quod foret edendum stemmate de Isacide.
Insuper ex istis id saepe docendo nepotes,
Postera pollicitum hoc sacuta nosse dedit.
Qua non propositi perstringere singula nostri,
Cum fermè in promptu cernere cuiq; licet.
Hoc meminisse loco, paucis tamen illa, iuvabit,
Quaecunq; Esaias protulit ore sacro.
Ecce, sequenturis annis castissima virgo
Concipiet, salva virginitate tamen.
Et pariet sobolem, dicit, mirabile dictu,
Emanuel nomen cuius erit proprium.
Verus homo, verusq; Deus, consorsq; duorum,
Omnia qui regnat fortis ubiq; loci.
Sed cum tempus erat, quo sancti concio vatis
Debuit impleri, virgine natus homo est.
Hunc igitur mirū cum passim hoc tempore pat-
Deside non celebrat pectore turba Dei. (tum
Infantisq; eius festum veneratur honorem,
Fas mihi sit cunas condecorare pias. (orbem
Nunc mihi Pegasides, quo tempore Christus in
Quove loco verus dicite natus homo est.
Pstquam res Asia tranquillà pace regebat
Augustus Caesar nomen Es omen habens.

Iura

Iura dabat regno, propriam ut properaret in urbē
Quisq; sua gentis, non remorante pede.
Censum ad solennem, generis nomenq; notandū
Quò melius vires nosceret inde suas.
Talia cum fierent, Ioseph cum virgine castā
Mariā Bethlem, qua sibi sponsa, venit.
Qua; sacro pragnans portabat pignore ventrem
Concepto mirè flamine vivifico.
Ast ubi jam prisca defessi mœnia Bethles
Ingressi, subeunt vilia tecta domus.
Magna cohors peregrina etenim convenerat ist-
Hospitium ignotis aptius haud patuit. (hic,
In stabulo degunt stipulis & limine raro
Cuius erat paries textus ubiq; loci.
Et casa perrigido stetit undiq; pervia vento,
Nec quaquam ornatus splenduit arte domus,
Corpora sed vix dum requiei lassā dederunt,
Lunaq; nec medium transierat spatium.
Presentit, repetens Majorum oracula virgo
Divini partus tempus adesse propè.
Numen erat faustum, genuitq; puerpera natum,
Quem pia linteolis vilibus imposuit.
Nec, dolor, huic prabet plebs Bethlemitica lectos,
Stramine sed rigido membra tenella jacent.

De victu tenui, & materno lacte fovetur,
Parcius atheria ut vix habeantur aves.
Et tamen: hoc partu non est equabile quicquam
Vera Dei soboles, virgine verus l'om' est.
At cur in tantà REX paupertate DEORVM,
Tam specie misera nascitur i, se puer?
Scitice' assumptà ut servi sine crimine forma,
Nos servos redimat crimine, fauce Pluti.
Cur natus spretus, tenuis cur venit in orbem,
Cur paupertatis spontè subivit onus?
Ut nos divitiis superùm cumularet egenos,
A Eterna vita munera magna ferens.
Quin pudet ergo, istos quorum tam frigida corda
Assumpta nequit in carne movere DEVS?
Vos autem quibus est pietas sanctissima cordi,
Atq; salutis quos anxia cura tenet.
Ab non Iudais similes vivatis iniquis
Non prae sepe humilis temnite vile Dei.
Sed cupidis potius votis exposcite Christum,
Oscula quin puero ferte subinde sacro.
Sic vobis facilem sese credentibus offert,
Rebus & angustis fert miseratus opem.
Nunc tua Christe quibus dicā incunabula verbis
Quove tuas laudes carmine ad astra feram.

Tu

Tu puer es summi, sermo & patris unica proles
Et naturalis solus imago Dei.

Fine cares, vivis cum secula nulla vigerent,
Cum nondum calum, terra nec unda fuit.

Omnipotens per te sunt omnia condita verbum,
Et sine te verbo constat in orbe nihil.

Deq; DEO Deus es, vero de lumine lumen,
Quo sine luce carent lumina clara poli.

Tu similis Patri, cum sis & originis expers,
Nunc DEVS humana federa carnis habes.

Tu caro sancta, tamen non semine creta virili,
Sed sata virgineo sanguine matris ades.

Verus homo, verusq; Deus stirpisq; gemella.
Consors aeterna tuq; salutis iter.

Calcator stygii Ditis, mortisq; rapacis
Destructor dirus, tartareaq; domus.

Victor peccati, aeterniq; medulla doloris,
Fessorum requies, janua recta poli.

Tu nisi sumpsisses humanum corpus & artus
Nec verus natus virgine Christe puer.

Tartareus prorsus, stygiae qui praesidet unda,
In nos misisset sibila dira Draco.

Fortiter horrenda mortisq; invicta potestas
Sub Phlegetontais nos tenuisset aquis

Iam sumus immunes pœna, & tu labe salutem
Amisſam reddis, donaq; iuſtitia.
Suppetis & dulcem feſſis poſt fata quietem,
Deniq; credentes ducis ad aſtra poli.
Ergo celebrantes feſti ſolennia, dignas
Solvimus o grates peſtore Chriſte pio.
Noſtraq; jucundo teſtamur gaudia vultu,
Dulcia dicentes iubilâ voce ſacra.
Omnipotens genitor ſpacioſi conditor orbis,
Grates nos agimus peſtore & ore tibi.
Quod tu largitus natum qui lapſus ab alto,
Atq; ex illa ſa virgine natus homo eſt.
Vt pœnam lueret, quam non commiſerat ille,
Donaq; iuſtitie redderet ipſe nova.
A nobis etiam ſuperum depelleret iras,
Panderet & lapſis oſtia ſacra poli.
Te petimus gemitu, te ſupplice voce rogamus
Vt nobis clemens & bonus eſſe velis.
Accendasq; tuis diuinis peſtora flammis,
Quò tibi pro tanto munere grata ferant
Firmiter utq; etiam confiſant rebus in arctis,
Inq; gravi ſperent cuncta dolore bona.
Donec ab hinc ſuperum nos transportemur ad ades,
Qua ſacro electis ſanguine ſponte patent.

Tu

Tu quoq; CHRiste salus hominũ, vitaq; perennis
Autor, habe grates quas hominũ ora sonant,
Quod tenui rutilo formã descenderis axe
Quod nostri causa factus inopsq; puer.
Ut saltem mala nostra Deus bonitate leuares,
Et simul essemus calica turba tibi.
Aspice nos vultu de celo CHRiste benigno,
Fortiter eq; malis eripe membra tua.
Sibila namq; Draco expanso de gutture fundit,
In gyrum sinuans; vulnera cauda facit.
Vnica Christe salus venies, hominũq; redemptor,
Defendes cæcum, dextera mittet opem.
Donec ad extremũ despecta catharmata mundi,
In patriam revocas corpora lassã sacram.
Hoc placuit tandem non summo Helicone profe-
Carmen, sed tenui texere vile stylo. Etum,
Haud dubitans Christo quin sint conamina curæ,
Et mea laus magni muneris indicium.
Tempus quando venit, quo perfruar ætheris æde,
Aligeri cernens munia sancta chori.
Tunc aliis illi texam præconia verbis,
Solers perpetua nomina laude canam.
Felix qui supera Divorum sede receptus
Concinit æthereo carmina grata DEO.

Illius

*Illius & laudes celebrat, nec desinit unquam
Cernere clementis lumina clara Dei.*

H Y M N V S G E R M A N I C V S .

G. lobet seistu Jesu Christ / etc.

O D A .

Essa laus, I E S V , tibi sit redemptor,
Quod puer nunc natus in orbe verus,
De pudica virgine, quod triumphat
Coelicus ordo.

iam tenent praesepia dura prolem

Vnicam summi genitoris, atq;

Induit servi tenues amictus

Diva potestas.

Quem capit non ambitus orbis ingens

In sinu matris tenerae recumbit,

Factus est infans modò, qui reservat

Omnia solus.

Lumen aeternum penetrat per orbem,

Fulgor in densis tenebris renidet,

Lucet in noctis medioq;, reddens

Pignora lucis.

Filius patris, Deus est homoq; ,

Visit is vastum hospitis instar orbem,

Vt malorum ex fece, beata regna

Ducat olympi.

Pauper, ut nostri miseretur ipse,

Venit in mundum altipotens redemptor

Angelis aequaret ut, ac Olympi

Munera ferret.

Cuncta perfecit Dominus I E H O V A

Illius luceret amor perennis,

Quod triumphat, carmine datq; grates

Turba piorum.

F I N I S .

Cl 2490

ULB Halle
004 936 701

3





